prebere uoluntariuſ
non moratur. Et uolen
ti aduerſum ſe de tuni
ca litigium commouere.
remittit & pallium.
quique diligit inimicoſ
ſuoſ. & orat pro calum
niantibuſ ſibi. hic pecca
ti reppulit iugum. ac
uincla diſrupit. Non enī
uiuit ſub lege. quę non
interimit ſeminaria
peccatorū. Unde non im
merito de ipſa beatuſ
apoſtoluſ. Repbatio im
quit fit precedentiſ
mandati. propter in
firmitatem eiuſ & inuti
litatem. Nihil enim ad
pfectum pduxit lex. Et
dnſ pprophetā. Et dedi
inquit eiſ precepta non
bona. & iuſtificationeſ
in quibuſ non uiuent in
eiſ. ſed ſub gratia. quę
non ramoſ tantū nequi
tię amputat. ſed ipſaſ
penituſ radiceſ noxiae
uoluntatiſ euellit.

Quiſquiſ ergo XXXIIII
pfectionem euan
gelicę ſtuduerit
tenere doctrinę. hic
ſub gratia conſtitu
tuſ. peccati dominati
one non premitur. hoc
ē enim eē ſub gratia.
quę a gratia mandan
tur implere. Quicūq;
uero pfectioniſ. euan
gelicę plenitudini ſub
iectuſ eē noluerit. non
ignoret ſe quamuiſ bap
tizatuſ ſibi uideatur
ac monachuſ. non eē
ſub gratia. ſed legiſ ad
huc uinculiſ prepedi
tum. peccati pondere
pręgrauari. Propo
ſitum nāq; ē eiuſ. qui
om̄ a quibuſ receptuſ
fuerit. gratiae adop
tioniſ adſumit. non
diſtruere. ſed ſupędi
ficare. nec euacuare.
ſed adimplere moſaicaſ

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 575, p. 81 – Johannes Cassianus, Collationes patrum XVII-XXIV (http://www.e-codices.ch/de/csg/0575/81)